Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0001-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0002-1

56

NOVA COLCHICA JASONIS NOVI AUSTRIACI,

SUPREMI EQV. AURAT. VELLERIS DOMINI,

HISPANIARUM & INDIAR. CÆTERORUMq; REGNORUM &c. &c.

MONARCHÆ

CAROLI III.

SUB OMINIBUS NOVIS, FATIS FELICIBUS, VOTISq; PIIS

MONARCHIAM HISPANICAM

Tanquam Novum

AUREUM COLCH. VELLUS

DEI, JUSTITIÆ & ARGONAUTARUM OPE RECUPERANTIS

EXPEDITIO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0003-7

*V*Ellere Phaſidico, quo quondam jactat *Aetes*,
Dignior Heroum ſolus *Iaſon* ovat,
Cui domitis hydris taurisque furentibus, uni
Ac reliquis Grajis *aurea præda* datur.
Roma caput Mundi tota quoque gente triumphans
Non niſi vexillis vincitur *Hannibalis*
Auſoniam moli permagnæ condere gentem
Nec par *Pompejus* par *Scipioque* fuit.
Cæſar ſolus erat Juljus, cui Roma Monarchæ
Agnomen *Primi*, gloria ſceptra dedit.
Atlas ſolum humeris portaſſe putatur *olympum*,
Ac *corpheus* Erebum voce domare poteſt.
Paret *Alexandro* ſoli *Bucephalus* olim,
Gordius & *Nodus*, *Gordia* valla ſimul.
Alcides Domitor monſtrorum dicitur audax,
Quò ſolus CAROLUS Major UTERque fuit
Fulgenteis ſuperat ſtellas *Sol* aureus omnes,
Et minimas inter *Cynthia* ſola caput.
Advolat una *Jovis Volucris* ſic lampada cœli,
Quadrupedes inter gloria prima *Leo* eſt.
AUSTRIA præ reliquis his terque quaterque beata,
Hæc inter ſummum continet omne bonum
Auſtria ſola caput Mundi, quæ ſola (*a*) MONARCHAM, *a) Leopoldum.*
EUROPAE (*b*) FULCRUM poſſidet & (*c*) COLUMEN, *b) Joſephum.*
Cæſar, *Alexander*, *Scipio*, *Tyrinthius*, *Atlas*, *c) Carolum* III.
Aſſurgunt noſtris *Regibus* AUSTRIACIS.
Auſtria ſola novos Patriæ ſcit jungere Mundos,
Atque novis alias aſſociare plagas.
Auſtria Zodiacum Solis determinat una,
Cujus & occaſum neſcit in Imperio.
Ridet inexpertos Galli *Phaetontis* abuſus,
Burbonias alas, *Icariosque* modos.
Auſtria ſola jubar Regum, Regina, Corona,
Teutonici noſtri Lux radioſa ſoli.
Auſtria ſola, cui mos eſt ſua Regna tueri,
Et colere Heroum gloria magna domum.
(*d*) BURGUNDI *Thalamum*, *pugnam*, *carcerque* notantis
Aurati eſt hæres *ordinis*, & *Gideon*.
Auſtria ſola novo CAROLO felice refulgens,
Auſtria Celtarum grandia *monſtra* domans.
Auratum tandem capit *Argo Vellus Iberum*,
Solus enim CAROLUS vellere dignus ovat.
Et quamvis ſtygius fremat hydrus & orcus & hoſtis;
Digna tamen CAROLO tanta brabea manent.
Hi ſunt *Argolici*: *pietas*, *ſors*, *juſtaque cauſa*,
ANNA BRITANNA potens, BELGAque belligerans
Sanguine conjunctus Rex LUSITANUS, *Achates*
Haſſus, queis *ſociis* perdere nemo poteſt.
Macte! ergo *aurati Veriſſime velleris hæres*,
Perge velut pergis; jam via ad aſtra meat.

Hic

(d) *Philippi Boni qui equeſtr. ordinem aurat. Anno* 1430. *partim in honorem novi & tertii matrimonii ſui partim in memoriam carceris & pugnæ Patris ſui Johannis inperterriti cum Turcis habita ſav civit.*

Hic pietatis honos, ſic vos in ſceptra reponis *Virg. L. 1. Aen.*
Sic redit ad Dominum, quod fuit ante ſuum.
Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum *Virg. L. 1. Aen.*
Fata tui Regni, Vota tui populi.
Quique rudem belli tulit æſtus in arma *Philippum*,
Is quoque funeſtum præcipitemque dabit.
Non illi Imperium Pelagi ſævumque Tridentem
Sed Tibi *Fata dabunt*, ſed *Sibi Jura dabunt*.
Suſpice cum gemmis Tyrios mirare colores, *Hor. L. 1. Ep. 6.*
Offert, quæ *Regnum*, *Gloria*, *Jus*, *Populus*.
I, Bone! quo virtus Tua Te vocat i, pede fauſto. *Hor. L. 2. Ep. 2.*
I, cape virtutis digna brabea tuæ.
Felici greſſu tua facta ſequantur honores,
Adſpiret cœptis Numen ubique tuis.
Eripis *auratum Celtis* jam *Vellus Iberum*,
Aurea Turcarum ſit quoque *Lana* Tibi.
Perpetuæ pacis tua tempora cingat oliva,
Provehat ad ſeros gloria magna dies.

PARODIA
ad
LEOPOLDUM M. ROM. IMP.
INVICTISSIMUM.

Ne *Hercules* adverſus *Duos*.
Sed de LEOPOLDO noſtro *Magno* Cæſarum *Maximo*
ominoſe & αναγραμματικῶς olim dicebatur:
PELLO DUOS.
Capitales ſcil. totius Europæ hoſtes
Canem Turcicum & *Gallum Gallicum*,
bina animalia *invida* & *infida*,
Illum verſus *orientem*, & *anteriora latrantem*
Hunc verſus *occidentem* & *poſteriora cantantem*,
SULTANUM ſcil. & LUDOVICUM;
Par pluribus *Impar*, ſimilis enim ſimili gaudet.
utrumque Magnum
& *domi* & *foris*,
non virtutibus & gloriis,
ſed regnandi cupiditate, vitiis, argutiis, flagitiis;
Alterum orbis terrorem olim, nunc ludibrium,
Alterum ſanguiſugam, mox refugam:
Pulſum jam *alterum* videmus, *alterum* ſemel pulſum vidimus,
Alterum denuo vinci poſſe *Alter* docuit & docebit.
Alter fecerat inducias ad XX. annos, Alter ternas paces.
Sed & fregit uterque pari conatu pari conſilio.
Ille, ut *Comitem* olim *Tekkeli*, & *pedem* in *Hungaria*,
Hic ut *Furſtenbergium* & *pedem* in *Germania*
firmaret.
Tököli (*Tekkeli*) *Chriſtianus* contra *Chriſtianos*,
Furſtenbergius Germanus contra *Germanos*.
Sed ut *pari prætextu*, ſic *pari* quoque *ſucceſſu*:
Jam eadem luditur ſcena eodem forſitan eventu.
Rákóczy — *Ragozy* privignus *Tekkeli*, Chriſtianus contra Chriſtianos,
Philippus illegitimus Hiſpaniarum Uſurpator, contra *Carolum* III. *legitimum*
Hiſpan. Regem
M. Em. El. contra *Imperatorem*, *Gener*, mirum dictu! contra
Socerum, *Vaſallus* contra *Feudi Dominum*,
Chriſtianiſſimus malè Chriſtianus contra *Chriſtianum*.
Gallus contra *Aquilam*, *Turcarum Collega* contra *Turcarum Domitorem*,
Reges & *Reguli* contra *Regem Regum*.
Malâ causâ & aliquot progreſſibus freti inſurgunt,
& ſic *dapes* Auſtriæ non *afferunt* ſed *auferunt*;
Sic homo homini *Gallus*, *Canis*, *Lupus*, *Turca*.

quod

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0005-8

quod LUDOVICUS ipſe numero
DECIMUS QUARTUS
Interrogantibus nomine & omine demonſtrat:
QUID ES? SUM TURCA.
imo pejor, ſcilicet *Diabolus* &
Patriæ, Hiſpaniæ, Germaniæ
Fatum, Peſtis, Hoſtis
Qui Eccleſiam ut *Julianus* atheiſmo, Religionem ut *Caligula* perſecutione
Germaniam ut *Nero* ſanguine, Hiſpaniam ut *Jacobus* Rege ſuppoſititio
Europam ut *Attila* bello fœdavit.
Verum
ut *ſidus Caniculare* non diu regnat, & *canes rabidi* non diu *durant*,
Sed quod tuburcinando devorarunt, mox quoque *revomunt*;
& quæ *cito fiunt Regna*, cito quoque *pereunt*
quique una nocte creſcunt *Reguli* ut *fungi*, *altera cito decreſcunt & evaneſcunt*,
Sic *hoſtium* horum *nemo ante obitum beatus*,
Sic Avaro tam *deerit quod habet & habuit, quam quod non habet*,
Sic *Gallorum lilia* & *ſanguiſuga* mox rumpent *ilia*
Urbes, Orbes, Regiones, Regna
(Quorum *plurima* dolis, *pauca* victoriis, jure *nihil* acquiſiverunt,)
tam Canum ac Turcarum, quam proprio more ſolito revomendo.
LEOPOLDUS enim noſter,
& *Turcarum* & *Celtarum* Domitor,
qui olim pepulit *Duos*, & adhuc *pellet Duos*, imo *bis Duos*,
Ragozy, M. E. *Ludovicum*, *Philippum*,
Per *Binos filios*, novos Europæ Heroes, Atlantes, Hercules,
ILLIS cum hoſte *Amalek* reliquisque Joſ. cap. 17. Regulis ſubjugatis
Per Hoſtium fulmen orientale, non *Ægypti* & *Iſraelitarum*
Sed *German.* & *Hungarorum* JOSEPHUM vel *Joſuam*,
Imperium Orientale tanquam novum *Canaan* reſtituendo.
His & *Philiſtæis* Celtarum ſuperatis per fulmen hoſtium occidentale
novum Davidem CAROLUM ſcil. III.
Regnum *Occidentale* cum *Hadriano* recuperando;
Quis diffitebitur ergo? quod *Ludovicus Turca*
cum *Turca* & novis ſuis *Turcomannis* ſit experturus parem fortunam, par fatum,
Et quæ hoſtibus jam *inſtat nox*, qua *chlamides purpuratas* exuere & Auſtriæ
reddere forſitan cogentur.
Gallo mox tranſibit *nox*,
qua & noctuæ & reliqua nocturna *ſidera & animalia Luna & Gallus* regnarunt,
Atque ut illa hactenus *Eclipſin* paſſa, ita hic patietur *caſtrationem*,
quem natura & Veneris abuſus longe caſtravit.
Exorietur enim *Dies*,
quo *Luna* & reliqui minores *ignes obſcurabuntur*,
Cum Aquila ſit & Jovis & ſolis Ales, ſolus horum inter verſetur radios,
Deſinet tandem brevi, D. D. ut *Canis latratus*, ſic *Galli cantus*,
nec non reliquæ obmuteſcent *ranæ* coaxantes;
Quaque de *ſolis* nuper Hiſpan. Caroli ſcil. II. *occaſu inverſo ordine* cantavit Gallus,
Inverſa jam ſorte, *tertia* & ultima *cantilena ac conatu orientem novum*
Hiſpaniarum ſolem CAROLUM ſcil. III. nolens volens ipſe annunciabit.
Lætare ergo LEOPOLDE!
De phœbo ſurgente poſt nubila, de tam felici ſperanda metamorphoſi,
& cum Sereniſſimo Filiorum Pari, M. M. M. V. V. V. ac Clementiæ radiis,
Nominibus V. V. V. Auſtriacis devoti Servuli conatus hos tenues, queis
thronos V. V. V. eminus adorare licuit, ſerenate.
Exulta GERMANIA! *Gaude* EUROPA!
Illuceſcet enim *Dies*, quo
InIqVI HIſpanIæ VſVrpatores LVDoVICVs MagnVs & nepos Ph.
breVI fIent parVI.

J. G. G.

Ung VI 3

VD 18
VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0007-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0008-5

56

…CHICA JASONIS
…AUSTRIACI,
…AURAT. VELLERIS DOMINI,
…M & INDIAR. CÆTE-
…REGNORUM &c. &c.
…NARCHÆ
…OLI III.
…VIS, FATIS FELICIBUS, VOTISq; PIIS
…AM HISPANICAM
…anquam Novum
…M COLCH. VELLUS
…ONAUTARUM OPE RECUPERANTIS
…PEDITIO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-682844-p0009-4